



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab Anno 429. Usque Ad Annum 483

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1759**

**VD18 90117816**

§. 54. Leges, a Marciano editæ, Ecclesiæ faventes.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66052](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66052)

non est, ut veritatem Evangelii cognoscant, cum suis oculis loca, in quibus completa sunt Mystera, usurpent. Epistolam claudit his verbis, quæ vel sola destruendæ Eutychis Hæresi sufficiunt, *Divinitas in sua Natura pati non potuit, nec Veritas nos decipere, ut nostram Naturam assumpsisse fingeret.* Epistola ista quarta Sept. anno 454. data. S. Leo in una ad Imperatorem Marcianum epistola queritur, quod œconomi Ecclesiæ Constantinopolitanæ Dispensationis suæ rationem coram Judicibus Sæcularibus redderent, quæ res exemplo careret, & consuetudini adversaretur, secundum quam Ecclesiasticorum Proventuum, & Dispensationis tabulæ Episcopis exhibebantur.

Sæculum V.  
A.C. 454.

ep. 108. c. 2.

§. LIV.

*Leges à Marciano editæ, Ecclesiæ faventes.*

Theodosius Anti-Episcopus Jerosolymitanus ad montem Sina confugerat; illis autem Monasteriis, cum essent Colonia, ex Ægypto illuc deductæ, magna cum Ægyptiis necessitudo intercedebat. Hinc Imperator Marcianus Joannem Decurionem in Ægyptum misit cum epistola, ad Monachos hujus Provinciæ directâ, ut doceret, quid hominis esset Theodosius, & quam fœdis flagitiis contaminatus.

ep. Leon. 113

c. 1. Conc.

Calc. p. 3. c. 8.

Sæculum V. natus. Hortatur, ut e suis latebris sce-  
A. C. 454. lus eruerent, & unacum consciis Provin-  
 ciæ Reçtori traderent, non quidem ut pro  
 meritis pœnas daret, sed ut simplices  
 animos ulterius decipere prohiberetur.  
 Imperatori visum, in hac epistola Fidei  
 suæ puritatem profiteri, ut Hæreticorum  
 obtreçtationes refelleret.

*ib. c. 19. l. 8.  
 Cod. de Hær.*

Credibile est, Joannem Decurionem  
 etiam in mandatis habuisse, ut in Ægy-  
 pto Imperatoris Marciani legem promul-  
 garet, contra Hæreticos, & nominatim  
 contra Eutychanos. In hac Lege Ne-  
 storiani dicuntur esse Apollinaristæ, &  
 eadem pœnæ in eos decernuntur. Fa-  
 cultas quidquam testamento acquirendi,  
 vel donandi ipsis adimitur. Iisdem  
 prohibetur sub pœna Exilii, & privatio-  
 nis Bonorum, ne Episcopos, aut Cleri-  
 cos ordinent, ne conventicula agant, ne  
 contra Concilium Calcedonense mutire  
 audeant. Lex ista prima Aug. Valenti-

A. C. 455. niano octavo, & Athemio Consulibus,  
 id est, anno 455. data, atque ad Præfe-  
 ctum Palladium directa, addito manda-  
 to, ut eam executioni dari, præsertim  
 Constantinopoli, & Alexandria, cura-

*Nov. ult.*

*Mar. tit. 5.*

*L. 20. Cod.*

*Th. de Episc.*

ret. Eodem anno 455. Marcianus Impe-  
 rator abrogavit Valentiniani Legem, 30.  
 Julii, anno 370. datam, qua vetitum  
 erat, ne Clerici ex Testamento Fæmina-  
 rum quidquam acquirere possent. Mar-  
 cianus

cianus Virginibus, & Mulieribus Deo <sup>Sæculum V.</sup>  
 consecratis, facultatem dedit, ut Eccle- <sup>A.C. 455.</sup>  
 siis, Clericis, Monachis, aliisque indigen- <sup>Sup. XVI.</sup>  
 tibus, quantum vellent, Donatione, aut <sup>§. 41.</sup>  
 Testamento, conferrent.

Extat Lex anni superioris 454. ad <sup>Ep. 12. C.</sup>  
 Palladium, Prætorio Orientis Præfe- <sup>de Sacros.</sup>  
 ctum, directa, qua Ecclesiarum Privilegia <sup>Eccles.</sup>  
 confirmantur, & varii generis annonæ  
 stipendia, nutriendis pauperibus destina-  
 ta, præberi jubentur. Eadem omnes  
 Pragmaticas, obreptitias, & contra Ca-  
 nones impetratas, retractat. Hujus Le- <sup>Sup. §. 19.</sup>  
 gis causa fuisse videtur, ut ea, quæ in <sup>L. 25. C. de</sup>  
 Concilio Calcedonensi decreta fuerant, <sup>Episc.</sup>  
 executioni darentur. Anno 456. Mar-  
 cianus Imperator Legem condidit, Cle-  
 ricis faventem, in qua statuitur, ne ad  
 aliud, quam Episcopi Tribunal trahi pos-  
 sint. Nihilominus Constantinopoli actio-  
 nem contra eos coram Præfecto Præto-  
 rii movere licet. Si opus fuerit, Eccle-  
 siæ Constantinopolitanæ Oeconomum,  
 vel Defensorem vadem dabunt, si modo  
 res non supra quinquaginta libras auri  
 æstimetur. Apparitorum merces, alia-  
 que forensia impendia a Clericis minora,  
 quam a Sæcularibus exigentur.